







1
6
247











Ex legato Dn̄i Equitis Antonii
Francisci de Marmis



PARALIPOMENON
De
HISTORICIS GRÆCIS CENTURIÆ QUINQUE
[plus minus]

Quibus præmittitur

DISCURSUS

De

SUMMO BONO
Hominis in hujus vitæ Miseria

Tractans & ostendens in quibus illud consistat, & quinam ex Antiquis Philosophis de illo præ aliis propius ad Veritatem accesserint:

AUCTORE

BERNARDO à MALLINCROT

Decano Monasteriensi & Electo Coadjutori Mindensi, nec non Seniore Canonico ibidem.






COLONIAE AGRIPPINAE,

Imprimebat Vidua HARTGERI WORINGEN,

Anno M. DC. LVI.





Clarissimo & Integerrimo Viro, Domino

JOANNI KINCKIO SENATORI ET BIBLIOpolæ Agrippinati in sanctâ & celeberrimâ Vbiorum ad Rhenum Coloniâ, Amico & Fautori optimo & æstimatissimo.



AMICITIA, quæ à pluribus jam annis, Clarissime D. KINCKI, mihi tecum intercedit, & utrimque eo, quo par est, inter Germanos, Christiana sacra in Catholica communione professos & à bonis litteris non alienos candore sincerè semper culta est, impulit me, ut hunc, quantũvis tenué & exilẽ de Historicis quibusdã Græcis Libellum, tanquam uberioris à sæculi nostri eruditissimo, deque Litteraria Republica optimé merito, Scriptore collectæ, & magno cum applausu in publicos usus erogatæ messis paulò jejunius Spicilegium, nomini tuo inscriberem. Mos hic jam inde ab antiquo, ut nosti, & ultima ferè ex quo eruditio & illius æstimatio in honore fuerunt memoria tralatitius & vulgatissimus habetur; nec novum est, hoc officii genere ipsosmet Bibliopolas etiam & Typographos demulceri. Fecerunt id ex recentioribus post renatas Litteras non pauci, ac inprimis, ne quid de Era-

mo, Scaligero, Lipsio aliisque dicam, Conradus Gesnerus, in eruditissimis Pandectarum Libris suis, quorum plerosque Typographis ævi sui nominatioribus sigillatim dicavit: Ex antiquis illustre Quintiliani exemplũ superest, qui Tryphoni Bibliopolæ Romano ante quem Sosii, Horatio memorati, Libraria negotiatione illic inclaruerant, Oratorias Institutiones suas si non inscripsit, saltem prælimi nari epistolio commendavit, eaque ratione hominẽ, alias absque hoc, & Martiale, si esset, nobis planè incognitũ, ad omnẽ posteritatẽ vita donavit, celebreque in perpetuũ nomẽ eius fecit. Hoc Tui adminiculo minimè, indiges (nec mihi etiam tam grandia præstandi arrogantia est (qui tot egregiis passimque celebratissimis variorum Auctorum editionibus, proprio Marte tuo te immortalem fecisti, nec tamen propterea tibi improbari debet hoc institutum meum. Non possunt enim non grata esse chartacea hæc munuscula iudiciosis eiusmodi rerum æstimatoribus, illis inprimis, quorum existimatio & fama, ne quid de minutioribus dicam, hac præcipuè merce nititur, eiusque beneficio & suæ ætatis hominum favorem, & sequentium seculorum notitiam laudemque sibi conciliant. Ac certè æquitatis ratio id exigit, ut hoc quoque gratitudinis genere honorentur, quibus id unicè propositum est, & toto vitæ suæ tempore agitur, ut bonorum Auctorum excusione publicè prosint, deque honestis studiis, & bonarum literarum amatoribus quam optimè mereantur. Quam eximiè hoc á Te cumque maxima commendatione Tua in præsens usque præ stitum sit, non attinet à me commemorari, cum pridem eo nomine publicæ laudis præconia (quæ vel soli operum S. Bernardi Clarevallensis in publicum emissioni, debentur, quamvis istam palmam, cum recolendæ memoriæ editore & illustratore eius Merlo-Horstio, in quo dum viveret eruditionis & pietatis amicissimus de præcedentiæ prærogativa conflictus fuit, communem habeas) per omnem Europam promerueris, & in hac vergente ætate Tua necdum cesses, ut reliqua præteream, de Ecclesiastica Historia & sacris Scriptoribus, ut semper fecisti, deinceps etiam benè mereri. Miraberis tamen, ut facilè mihi persuadeo, quo es in hoc fori tui negotio, acumine, quod ausus sim hoc levidense munusculum non tantum Tibi privatim offerre, sed etiam in hac seculi nostri luce & exactiori tot præcellentium ingeniorum, censura, publicé legendum exhibere, cujus quoque parum consulti

quod

quod fateri compellor, facti mei aliquos non miratores tantum, sed etiam reprehensores, uti minime dubitandum est, habebo. Præstat igitur, cum pigeat de re levicula cum quoquam contendere, nec conveniens sit, ut nugis sua ratio constet, præpostera sollicitudine satagere simpliciter & ingenuè culpam agnoscere veniamque precari, quæ, ut benè confido, apud bonos & humanitatis magisterio faciles (reliquum enim vulgus plus satis subinde morosum & tetricum parum moror) tantò paratior erit, quod sciant neminem teneri otii sui rationem reddere, nec solere probari illos, qui in alienis scriptis nimis ingeniosi videri affectant. Si tamen putidum non sit paucis indicare, quid me ad hanc editionem permoverit, accipe eius rei causam duplicem. E litterariis exercitationibus & studioso otio adversis rebus, post DEUM & Divina cum laude & fructu solatia peti, omnium seculorum experientia comprobat, eiusque rei cum plurima alia, tum inprimis admodum luculenta & illustria (ne illos iam commemorem, quos in exilio Historias suas scripsisse Plutarchus refert) in Cicerone & Boethio documenta supersunt. Quidni igitur ego etiam, qui cum Nasone si non conqueri, quod virilia & fortia pectora non decet, saltem verè referre possum,

Nubila sunt subditis tempora nostra malis.

Ea conquirere, illisque opponere studeam Amuleta & Alexica pharmaca, quæ ægritudines ab animo arceant, & illic nidum constituere non permittant, unde, sint Deo laudes, hactenus exclusæ sunt & per cœlestem eius gratiam felicirer præpeditum est, ne ingratæ istæ & molestæ hospites tranquilli animi serenitatem & bene fundatum in Divina voluntate inconcussi pectoris robur, turbident & interturbent. Altera causa, priori isti hæc accessit, quod præstare putaverim, quicquid hoc est rhapsodicæ collectionis, cum vivente me, à quo maluissem, factum non sit, à me potius emitti, quam, ut postquam vixerim, à quo fortè nolim id fiat: nescio enim quo casu ad alienas manus horum Collectaneorum non minimæ partis (postmodum enim, ac nuper admodum anterioribus istis non pœnitenda accessio obtigit) me inscio, Apographum pervenerit. Et commodum evenit, ut

dum, an

dum, ante annum, & quod excurrit in excutiendis & perlustrandis schedis meis alioque transferendis re ita ferente, occuparer, fortè fortuna Autographum, quod longo tempore delitescens periisse putaveram, inopinatò rursus comparuerit. Quia autem verendum mihi fuit, hæc Paralipomena mea quibusdam macilentiora visum iri, quam ut gustui non insipidi libatoris displicere nequeant, præmisi illis de summo Hominis in hac mortali vita Bono, Diatribam, in qua quid intendam & propositum habeam ipsemet huius Editionis titulus indicat, & præterea subsequens ingressus idem paucis exponit. Nec prorsus ineptè ista, quamvis ad speciem longe ab invicem diversa & remota mihi conjungere & sociare placuisse quisquis benignè æstimare volet facile fatebitur, si cogitet, utrumque ad unam Græcæ Literaturæ classem pertinere, ac dictam de Bono inquisitionem magna ex parte ad eandem Historiæ illius gentis materiam referendam esse. Latinorum enim hic nullæ aliæ quam Subscriptorum Sequacium & Approbatorum partes sunt, qui novam aliquam Sectam commenti fuisse non reperiuntur, sed in Græcorum dogmatibus & placitis, prout hæc vel illa è contrariantibus Philosophicis Hæresibus illorum cuique placuit, perstiterunt.

Ex ipsis igitur Christianæ fidei & Theologicæ Sapientiæ principiis ostendere conatus sum, quinam ex antiquis istis Philosophis in capitali istà, & unicuiq; mortalium cognitu summè necessaria de summo Bono doctrina omnium optimè senserint, vel saltem ad veritatem præ reliquis quam proxime accesserint. Valde enim admirari & illorum vicem dolere compellor, quod qui rem acu, quod dicitur, tetigisse, confitendi sunt eoq; ipso immortalem laudem promeruerunt, nec olim pro merito æstimati fuerint nec hodie quæ illis deberetur apud memores gratosq; posteros obtineant celebritatem. Præterea ad oculum etiam demonstraturus sum, pleramq; istam de summo bono concertationem non nisi Logomachiam fuisse, ac præter paucos admodum reliquos ferè, licet diversimodè locuti fuerint, de re tamen ipsa in effectu idem sensisse. Ista in re & de plerisq; aliis tanto magis & tu, Ornatissime Vir & una tecum, judiciosi omnes contentionibus non nimis dediti Lectores tantò faciliorem mihi assensum largientur, ubi animadverterint, & velint, nolint, fateri compulsi fuerint, ipsos etiam Epicureos & Stoicos, quos è diametro ab invicem dissidere

vulgò

vulgò creditur & persuasissimum habetur, sub diversis & ad speciem contrariantibus verborum involucris eiusdem & unius Amasiæ procos, id est, virtutis Sectatores fuisse, licet utraque pars à plena veritatis in hac nobili Controversia possessione abfuerit; Illis enim hujus certaminis bravium debetur, qui per utriusque isti us sectæ commixtionem huius inæstimabilis thesauri non tantum strenui indagatores, sed etiam felicissimi inventores facti sunt. Hanc assertionem meam licet primâ fronte omnia in universum Stoicorum paradoxa forté superare plerisque videbitur, verissimam esse, & in virtutis ac voluptatis, id est, veri & sinceri fructus ei us quem Aristoteli gaudium Stoici aliique animi tranquillitatem, Democritus Euthymiam, nos bonam Conscientiam vocamus coniunctione huius vitæ felicitatem constitutam esse, nec alibi Christianæ professionis Hominibus, futuri etiam sæculi in illa interminabili æternitate beatitudinem quamdiu in hac transitoria vita lucis usura fruimur, quæri oportere, tam certum est, quam in meridie Solem lucere, & à Myriade Henadem numero superari. Id nisi persuadeam, omnibusque partium plus æquo pertinaci studio non deditis liquidò approbem, in vanum me hunc laborem, suscepisse libens fatebor. Hoc autem eò mihi proclivius fore exinde spe minimè fallaci plenus sum, quod præter Ciceronem ipsos etiam Carneadem & Chrysippum faventes & astipulantes habeam. Et quis non summopere miretur hos omnium ingeniosissimos & maximos è Porticus & Academiæ Sapientum numero auctores idem cum Epicuro eiusque in Horti cultura asseclis de voluptate sensisse? Ac præterea, quod palmarium censeo à quoquam Christianorum Theologorum ab hac fundatissima doctrina mea prius dissentiri non potes, quam fundamenta religionis nostræ everterit, sanctæ professioni suæ renunciarit, & salvificæ fidei parabatem egerit; Sed ad te amicorum candidissime redeo, utque hoc institutum meum æqui bonique consulere non graveris, amicissimè precor. Ita longm Te sospitet Dator omnium bonorum DEUS, & in hac cruda & viridi senectute Tua illique, quod rarum est, & omne pretium superat coniuncta hilari comitate, qua absque ulla tetricitatis admixtione illa suavissimè conditur & iucundatur Tibi plurimos adhuc largiatur annos ut inclytæ Reip. Tuæ & Mihi aliisq; Amicis qui est placidissimorũ

tuorum

tuorum morum æquabilis tenor & amabilis constantia, Tullianorum Catonis & Lælii vividum & in secula perennare dignum exemplum geminata laude Tua integris adhuc præstes lustris & exhibeas. Hoc amico amicus & longævo nec ipse novus terræ incola post expletum iam ante annum, & quod excurrit, magnum illud Climactericum tempus, à multis retrô seculis senum plerisque formidatum & non populari tantum persuasione, sed philosophicis etiam assertionibus fatale creditum, animitus opto apprecor voveo. Dabam Col. Agrippinæ Calendis Feb. Anno M. DC. LVI.



AD LECTOREM
Allocutio.



Arijs modis, candide & benevole lector, de bonis literis, deque omnium ætatum Scriptoribus, quorum vel opera ad huc supersunt, vel infelicium temporum aliorumve casuum injuria perierunt, mereri illos posse, qui vel sua vel aliena monumenta in lucem proferunt, non arbitror apud quemquam, qui quidem de rebus, ad eruditionem & doctrinas spectantibus, perite iudicare possit, inter dubia censeri, sed omnium confessione exploratissimum esse. Inter omnes hos principem locum, qui proprijs lucubrationibus literariam penum locupletant, facile obtinent & tuentur, dummodo eius generis, quæ edunt, sint, ut quod genio careant, merito suo traduci nequeant, nec sint vel recocta Crambe, vel ab alijs præmorsus cibus, ita ut nonnisi actum egisse, dum centies milliesve iam ab alijs dicta & repetita tædiosissimè iterant, vel etiam barbarè & ineptè contra rationalis Philosophiæ regulas, vel etiam contra paulo cultioris literaturæ præscriptum in operibus suis versati fuisse probentur; denique loco illorum, quæ proba & vera esse oportebat, omnia alia Lectoribus propinent, aut quocumque alio peioris notæ minimeque probando modo fumum vendant, præstigias faciant & imposturas committant, Nec tamen reliqui, qui alterum istum, de quo dictum est, gradum, utpote aliquanto sublimiorem, vel conscendere non affectant, vel etiam ad illum assequendum impares sunt, laude sua fraudari merentur, prout illustria non pauca supersunt ex antiquitate pariter & proximorum Seculorum, nostrique temporis auctorum Exempla, qui aliorum opera & labores vel è tenebris eruendo, vel publicæ luci consecrando, vel Scholijs, notis, Commentarijs elucidando, vel contra reprehendentium calumnias defendendo celebritatem consecuti sunt, æternumque, sibi ad omnem posteritatem nomen, hac etiam secundaria opera, pepererunt. Quo autem loco & quoto in ordine haberi & referri mereantur, qui eos, quorum labores interciderunt, quantum in ipsis est & fieri potest, ab oblivione asserere student, cuiusque iudicio relinquere constitui: non potest tamen ad minimum eorum conatus improbari, non vna de causa, Primo enim digni sunt, quorum memoria conservetur, qui, ut de posteritate bene mererentur, quam potuerunt dederunt, operam, etsi, ut fit, non fuerint vitales illorum partus; eò quod satis constet, non esse statim libri vivere minus digni probationem, quod perierit, sitque extra omnem controversiam, quod *invidiosa*, ut Poëta ait, *Vetustas* multa & varia plurimorum auctorum absumpserit monumenta, quæ illis, quæ supersunt, quibusque adhuc fruimur, in nulla re fuerint inferiora, non pauca etiam, quæ cum superstitibus de palma certare, seu verius si adhuc vivant victoria potiri, & præferentiam mereri digna sint. Quis enim id affirmare detrectet, de Lib. Tullianis de Rep. de Livianæ Historiæ Centum & quinq; libris de libris viginti C. Plinij, de Romanorum contra

stra Germanos bellis, de Rerum Divinarum & Humanarum libris Terentij Varronis, totque alijs illius Romanorum omnium doctissimi praeclaris nullo pretio digne aestimandis, lucubrationibus, de magna Annalium & maxima Historiarum Cornelij Taciti partibus, nunquam sine maxima laude etiam post interitum & interceptam cognitionem memorandis? quid de tot doctae Graeciae Historicis, Poëtis, Oratoribus, Philosophis, Antiquarijs & Philologis, denique etiam de tam numerosis omnis generis Romanis Scriptoribus, dicatur inter quos vel inprimis Servius Sulpitius & plurimi alij excellentissimi publici privatique Iuris Consulti eminuerunt, quorum vel tenuia admodum fragmenta ad nos pervenerunt, vel penitus, solo suo nomine apud posteros noti & superstites, interierunt.

Secundo, non ad antiquos illos per suorum operum interitum emortuos tantummodo hoc recensionis genus pertinet, sed nobis etiam qui etiamnunc vivimus & in literis versamur, veterumque memoriarum curiosi sumus inservit. Ne quid enim de vtilitate talis notitiae, quae multiplex sane est, nunc memorem, certe iucundum cognitù est, scire quid de quaq; re quiq; auctores scripserint, quamvis quae scripserunt, eo quod perdita sint, à nobis legi nequeant. Quid alijs eveniat ipsi scient, mihi in simili volupe est novisse, in qua alicubi extent bibliotheca necdum editorum manu scripta, etsi illa aliquando conspiciendi & degustandi vel nulla, vel incerta & exigua spes sit, idemque mihi in non amplius Sozomenis de quibus hic agitur accidit. Tertio etsi absterrere à lucubrando & ad posteritatis memoriam aliquid pangendo forte nonneminem possit tot praeclarissimorum ex antiquitate voluminum evanida & interceptacognitio, eò quod novis foeturis, cum veterum deperditorum excellentia in comparationem veniendi nequaquam dignis, idem quod his contingere possit; é converso tamen ad moliendum & audendum aliquid, si non omnes, aliquos saltem excitare & animos illis addere indubium est, quod nõ desit spes, tot priorum seculorum exemplis, ad minimum Scriptoris nomen perennaturum esse, etiam post illorum, quae scripsit, internecinam cladem In hoc igitur studiorum genere quos versari iuverit, cum quovis tempore nõ defuerint, fateri non erubescã, me etiam ad illorum exemplum iam inde à viridi aevo in praesens usque illo mirificé delectatum fuisse, inque versatione bonorum auctorũ saltem vel aliud agendo eo plerumque respexisse, ut si in aliquem minus adhuc notum & ab alijs vel praeteritum, vel neglectim habitum inciderem, illius nomen & praestitã in literis operam enotare, & mihi alijsque notiora facere anniterer. Id cum inter alia, nonnulla ad minimum ex parte, de Graecorum Historicis praestiterim, visum fuit in illorum honorem, quos eius generis sparsim hinc inde apud diversos reperissem, in unum quasi fasciculum colligere, & sub titulo Paralipomenon seu praeteritorum peculiari libello comprehensos, lectoris talium curiosi gustui exhibere. Extat huius argumenti praeclarum opus Gerhardi Ioannis Vossij, prius Leidensis postea Amsterodamensis Professoris, viri longè doctissimi, & Scriptorum suorum excellentia Iudicijque magnitudine aeternam laudem promeriti, post cuius uberiorem messem hoc qualecumque SPICILEGIVM collégisse *extra vitium* esse puto nec potest etiam haec, quantumvis paulò tenuior lucubratio *supra omnem ingenij aleam* po-

positi auctoris obtrectatio videri. Certe à mente mea longissimè illa abest, qui nihil magis in studiorum Palæstrà quam candidam & ingenuam simplicitatem amo, & æstimo, quà etiam sine severioris censuræ acrimonià hæc mea legi optem. Quô minus autem se lector difficilem præstet, illius me voti participem facere de sequentibus mihi paucis admonendus videtur Primò igitur mirum videri non potest, à prædicto auctore à me relatos præteriri, quod magna illorum pars primum eruta fuerit, postquam partim opus suum edidisset, partim etiam è vita abijsset, quod de illis, quos Meursius in Glossario, Alemanus ad Procopij Anecdota & Leo Allatius in elegantissimis Libris suis de Orientalis & Occidentalis sive Græcæ & Latinæ Ecclesiæ perpetuo consensu, denique Philippus Labbeus in novà Bibliotheca sua in lucem revocarunt, Iure videtur affirmari posse. Præterea nunquam vitio datum fuit, si in diffusæ materiæ tractatione quædam inquirentis industriam frustrentur & non omnes à quantumvis sedulo & indefesso Venatore in vastissimis saltibus capiantur feræ, uberrimarum denique messium ab avidis licet & laboriosis collectoribus aliquot ad spicilegium relinquantur aristæ. Secundò nolim cuiquam improbari quod paulò iejunius & succinctius in hoc argumento verser, nec enim propositum mihi fuit, apparatum & pompam adhibere, sed nudum potius Nomenclatorem agere, facilè alijs relinquens, si qui volent latius extendere hanc neglectioris operæ telam, studiosæ illius oblectationis materiam. Cum enim primitus hos Historicos in ordinem redigere cepi, magis curavi, ne quem prætermitterem, quam ut prolixum de illis sermonem instituerem, cuius locum, auctorum quorum fide nitor non allegatio tantum sed etiam, (in quibusdam saltem) excerptio supplebit, quæ iam pridem, tralatitio & non inutiliter recepto more, probari & placere cepit. Aberam, cum lucubrationi huic Colophonem imponerem illamque ederem, à Bibliotheca meà, quæ sontica causa facilè me lectori excusabit, si quid alicui putet uberius extendendũ & clarius exponendũ fuisse. Tertiò fortè non deerũt quibus methodus Abecedaria, utpote artis nihil habens, non satisfaciat; sed cum de plerorũque à me cõpilatorum ætate vix certi & accurati quid constet, necessariò hac vià eundum fuit, idque non sine multorum exemplo. Inter hos Laurentius Beierlinck meritò primas fert, qui magna lectorum commoditate, artificialem Zwingeri Methodum, in augmentatione Theatri vitæ humanæ, in hanc literariam commutavit. Et quis nescit istum literarium ordinem in huius generis Scriptionibus pervulgatum & solemnem esse; cuius rei probatio, antiquiores quod attinet, Suidæ lexicon; è recentioribus Gesneri & Simleri Bibliothecæ, Possevini denique Apparatus Sacer, locupletissima sunt Quartò suspicor repertum iri, qui non probent, quod quosdam admiscuerim, qui ægrè inter Historicos locum suum tueri possint; sed de industria illos præterire nolui, ut tantò commodior præbeatur ansa, non mihi solùm sed etiam alijs, amplius de illis inquirendi, nec etiam quibusdam subtrahatur ita recensitorum promerita laus, quoquo modo de re Historica illarumque Conditoribus bene meruisse, in quorum dilucidatione veterum Grammaticorũ industria iuxta Poëtas ex professo & principaliter occupata fuit. Habeat igitur, inscriptio-

nem quod attinet, hic locum vulgata regula: *à potiori fieri Deno minationem.* Quinto, tantò minus vilipendi potest, hæc qualiscunque lncubratiuncula, quod non exigua horum Scriptorum manus adhuc supersit, pervenerintque ad nos monumēta illorum, quod præcipuè ad illos pertinet, quos ex M eursio, Alemano, Allatio & Labbeo relatos esse iam dixi, illisque ex Metaphraste mutuati accensendi sunt, licet exceptis his ultimis & Meursianorum parte hactenus rari admodū prælo subiecti fuerint, & nonnisi manu scripti in Bibliothecis hinc inde latitantes & abditi, publica adhuc luce careant. Deniequ ut tenui huic ope llæmantissā aliqua nihn onil grtaiæ lucrarer; visum fuit discursum de veteribus Græciæ Philosophorum Sectis & Summo Bono attexere, utpote ad doctæ Helladis eruditionem æque spectantem, ideoque à præsenti Instituto, non toto, quod dicitur, cœlo distantem & aversū. Confido igitur hunc conatum meum sinceræ veritatis & veræ felicitatis Sectatoribus non ingratum fore eó quod in universa Philosophia, sine ulla controversia nil iucundius, nihil scitu dignius & magis necessarium occurrat, quam tam nobilis tamque variè antiquitus tractatæ & ventilatæ Quæstionis & controversiæ, verus status & penitissima cognitio; nimirum in quo consistat & ubi quærendum sit, *summum hominis in hac mortalli vita Bonum*, & quænam ex antiquis Philosophorum Scholis præ cæteris omnium rectissimè ea de re senserint. Vale amice Lector, & sicubi lapsus sum benigne ignosce; si quæ meliora & uberiora habes, candidè & liberaliter ea in medium affer, & publicis usibus impertire.

